



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 118. Helvetiorum irruptio in Burgundiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

tus, hujus expeditionis fructum repor- Sæcul. XVI.
taret. A.C. 1513.

§. CXVIII.

*Helvetiorum irruptio in Burgun-
diam.*

A deo sinistro hujus belli successu Ludovici XII. res in pessimo loco erant, mediocriter tamen ab adversantis fortunæ invidia sese laceffitum existimasset Rex, nisi ad malorum cumulum accessisset imminens totius Franciæ perdendæ periculum; Helvetii enim Gallis ex Mediolano depulsis Regnum Gallicum hostilibus armis invadebant, rati, quod illud tempore nunquam magis opportuno vastationibus excindendum foret. Ergo a Papa (*) ac Cæsare stimulati collectum viginti quinque, aut juxta alios Scriptores, nonnisi viginti armatorum millium exercitum in interiores Burgundici Comitatus ditiones effundunt, ipso Cæsare Helvetiis promittente, quod & ipse cum sex equitum millibus in eandem Provinciam irrupturus esset, quamvis nonnisi Udalricus Wirtembergensis Dux cum duobus equitum millibus accessisset. Hæc copię, cum jam jam ad ipsos Burgundici Ducatus fines penetrarent, in totam quoque

(*) Vid. infra annotationem §. CXXXVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

que Provinciam tantum terrorem extendebant, ut Galli iisdem, quibus jam toties ab Anglorum armis opprimebantur, malis denuo exponi pertimescerent, quocirca Rex Trimolium hujus Provinciæ Gubernatorem revocavit, ut sese rapido hostium torrenti objiceret, quamvis ad tuendam hanc regionem nonnisi Lancearii mille, peditumque sex millia præsto essent: Unde probe conscius erat, si exiguam hanc suorum manum in plures urbes partiretur, fore, ut ejusmodi præsidii vi abstractis Helvetii, cum a tergo cuncta tuta haberent, nullo negotio Parisios usque victoriæ cursum protenderent. Hac ratione permotus, Divione sese inclusit, ac sub urbis hujus ruinis tumultum sibi seligere paratus, reliquam Burgundiæ partem hostium arbitrio reliquit.

§. CXIX.

Divio ab Helvetiis obsessa.

Belcar. l. 14.

Igitur Helvetii Mense Septembri ad medium vergente Divionem cingunt, fossasque circum urbem obsidionales ad exactas artis militaris leges ducunt; cum vero moenia pene diruta essent, urbs haud diuturnæ oppugnationi par esse videbatur, eo potissimum nomine, quod hostilium tormentorum vi jamjam magna

muri